

dignitate , fieri possit , ultro deferre ? non acriter adeo cum Principibus agendum , atque cum iis Principibus , qui , una cum imperio libertate , Dei benignitate , bausa , multa eademque præclara pro christiana republica confidere possint . His magna dicendi vi a Donato enuntiatis , commoti haud parum Purpuratorum animi , se excusare , in voluntatem jussaque Pontificis cuncta rejicere .

At Patres Donati literis de his omnibus certiores facti , matura Præconsultorum agitatione præmissa , Senatu consulto , vel Sciarram cum suis dimissuros , vel in orientis insulas amandaturos , Clementis arbitrio pollicentur ; quamvis dimissum , ne se Uscochis adjungeret , vel denuo in pontificias ditiones irrumpens , præteritis molestiis ærumnisque implicaret , timendum videretur . Neutrum Pontifici placebat ; licet , priori mutata sententia , Petrum Comitem sibi tradi peteret ; de reliquis postea deliberaturum affirmaret . Donatus , nunquam in id descensurum Senatum ajebat , ut militum præfectum , qui vel pace , vel bello summa fide Reipublicæ operam navaverat , vitam sæpius objecerat , vincula & carcerem in Tamassi oppugnatione perpessus fuerat , traderet ; nihil igitur amplius sibi , quam in patriam redditum superesce . Tunc Purparati solitas excusationes nectunt ; cuncta ad Clementem relatuos affirmant : qui interea nonnihil de priori severitate remittere , mitioraque consilia animo excipere incepérat , Valerio præsertim ac Mauroceno Cardinalibus admittentibus , qui in eo leniendo prudentiam omnem studiumque contulerant . Maurocenus præcipue , liberrimo atque fervido ingenio , hisce dissidiis assurgentibus , enixe Pontificem rogaverat , ut , quæ acciderant , non secus atque evenerant , sibi subjiceret : *Reipublicæ ingenuitatem sinceritatemque elucidere ; reliqua fortunæ malignitati tribuenda esse : duas illum personas , Pontificis alteram , alteram Principis sustinere . Videret , ne nimium banc tollendo , illam aliqua in parte deprimere .*

Dum hæc Romæ aguntur , Theupolus legatus Senniæ , Fluminis , Vinadolique litora legens , navigatione prædones intercluserat , exitu interdixerat ; ita ut in dies commeatu cunctisque ad victimum necessariis magis premerentur . Turres quasdam , quibus tutus iis receptus erat , solo aqua verat ; Serisam

oppo-

Valerii &
Mauroceni
Cardinaliū
studium in
Pontifice
missigando .

Hermolai
Theupoli
contra Uf.
cocbos fa.
cinora .